



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio XVI. De conseque[n]tibus vnione[m] quantum ad ea quæ
conueniunt Christo secundum esse & fieri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Replica. Dices tale malum censetur quodammodo praesens, & potius parit tristitiam.

Diluitur. Resp. illud verè esse absens, & vt tale iudicari, quamuis simplici apprehensione concipiatur quodammodo vt praesens. licet ergo propter posteriorem considerationem possit parere tristitiam, tamen propter priorem potest verum timorem parere.

Obiectio 2. Obijciunt 2. quod timor repugnet fortitudini, vnde sancti Patres videntur illum à Christo excludere. Videri potest Hilarius lib. 10. de Trinitate in principio, vbi dicit; *interrogo eos qui in existimant an ratione subsistat vt mori timuerit, qui omnem ab Apostolis mortis timorem expellens ad gloriam eos sit martyrii adhortatus.* Aug. qui expositio 2. in Psal. 21. dicit Christum non verè timuisse pati, cum sciret se die tertio resurrecturum, sed propter membra sua verba illa protulisse, quae timoris speciem pra se ferrent.

Resp. timorem voluntariè assumptum nullo modo repugnare fortitudini, sed eum qui necessariò nobis inuitis ita oritur, vt rationem praedeniat, & voluntatem alliciat, vt à recto deflectat, & dimoveatur ab officio. Priorem inuentum in Christo, non verò posteriorem, quem solum negant Patres, qui solum volunt Christum non ita timuisse, vt inuoluntariè fuerit timore abreptus. alioquin nolunt eum non excitasse in se timorem, quo simplici motu refugeret mortem vt naturae contrariam, cum ad demonstrandam veritatem naturae humanae & acerbiter malorum imminentium deceret huiusmodi affectum assumi.

Obiectio 3. Obijciunt 3. Christus facile poterat quolibet mala euitare; ergo nihil debebat timere, cum timor non sit de malo quod facile vitari potest.

Resp. neg. conseq. licet enim ratione diuinæ potentiae potuisset facile quoduis malum euitare, nihilominus per virtutem naturae humanae sibi relictae non poterat, atque ita sibi relicta potuit multa mala timere.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum in Christo fuerit admiratio?

42. **R**ESPONDET fuisse. patet Matth. 8. audiens Iesus miratus est. Luc. 7. quo audio Iesus miratus est.

Notandum admirationem vel esse actum intellectus quo aliquis iudicat rem superare suam notitiam, vel saltem esse suae experientiae insolitam, vel esse affectum proximè consequentem tale iudicium. Quos actus in nobis alij varij communiter consequuntur, v. g. desiderium rei peruestiganda, si non appareat incomprehensibilis, vel fuga perferuntationis eiusdem, si appareat nimis ardua, &c. in quibus tamen actibus propriè non consistit admiratio, quamquam per illos vel similes tanquam per effectus notiores interdum deferbatur.

Ex his oritur controuersia, an in Christo propriè fuerit admiratio? Quidam enim negant, quia nihil erat Christo insolitum, cum rerum omnium haberet notitiam; nec similiter poterat quidquam illi esse magnum. Cum verò dicitur miratus, censent scripturam ita loqui, quia Christus ita exteriùs se gessit, sicut ij qui mirantur.

Alij tamen censent verè interiùs fuisse miratum, quod videretur sentire S. Tho. hic, quia proprietates verborum scripturae id exigit, & potest commodè explicari qua ratione in eum admiratio cadere potuerit: quamuis enim nihil lateret eius scientiam;

potuit tamen aliquid esse insolitum eius experientiae, & respectu illius esse magnum, quod sufficit ad admirationem; nam astrologus videns insignem & raram eclipsem etiam quam diu ante praecinerat futuram, potest mirari, consimili ergo ratione Christus experiens tam illustrem fidem Centurionis potuit mirari tanquam de re cui nondum similem viderat.

ARTICVLVS IX.

Vtrum in Christo fuerit ira?

AFFIRMAT, ex illo Marci 3. circumspiciens eos cum ira. Item ex eo quod secundum ordinem iustitiae potuerit appetere vindictam iniuriae Patri & sibi illatae.

ARTICVLVS X.

Vtrum Christus simul fuerit viator & comprehensor?

AFFIRMAT. Posterius patet ex q. 9. art. 2. vbi ostensum est illum habuisse scientiam beatam, & Deum clarè vidisse; quod etiam ostensum est q. 10. fuit ergo comprehensor secundum animam.

Quod autem fuerit etiam viator, patet ex dictis q. precedente, & praesenti, vbi ostensum est variè fuisse passibile tum ex parte corporis, tum ex parte animae; ex quo sequitur quod fuerit viator, cum esse passibile sit proprium viatoris; idque praecipue intendit S. Th. praesenti articulo, scilicet postquam ostendit Christum varios defectus animae & corporis suscepisse, concludere illum cum in hac vita mortali ante passionem ageret fuisse viatorem. quod est de fide, & patet ex merito eius (de quo in sequentibus) quod praesupponit statum viatoris.

QUESTIO XVI.

De consequentibus unionem quantum ad ea quae conueniunt Christo secundum esse & fieri.

PRAESENTI quaestione D. Tho. explicat quasdam formas loquendi supposita veritate mysterij Incarnationis in superioribus exposita & confirmata.

ARTICVLVS I.

Vtrum haec sit vera, Deus est homo?

REIECTIS varijs haeresibus circa substantiam huius mysterij; de quibus egimus partim q. 2. partim q. 5. & supposito quod per hoc mysterium duae naturae diuinae scilicet & humana in vnā personam conuenerint.

Respondet affirmatiue. Ostendit nomen significans naturam communem in cōcreto potest supponere pro quolibet cōtentorum sub natura communisigitur & hoc nomen, Deus, potest supponere pro persona Filij Dei, de quolibet autem supposito alicuius

alicuius naturae potest predicari nomen significans illam naturam in concreto; igitur de supposito naturae humanae potest illa predicari in concreto; ergo dici potest, *Filius Dei est homo*, ergo à primo ad ultimum vera est haec propositio, *Deus est homo*.

Notat autem S. Tho. non solum esse veram & propriam propter veritatem terminorum, sed etiam propter veritatem predicationis. quod patet ex discursu facto.

Conclusio est de fide. Patet ex symbolo Nicæno, ubi Filius Dei dicitur Deus verus, & de eodem dicitur, *homo factus est*, ergo Deus factus est homo; ergo Deus est homo. Similiter de fide est quod B. Virgo sit mater Dei, & quod Filius Dei sit filius Virginis; ergo bene dicitur *Deus est homo*. Deducitur etiam ex omnibus locis scripturae quibus ostendimus Deum verè pro nobis naturam humanam assumpsisse, & in unitate personae sibi univisse; inde enim sequitur, quod sit unum & idem suppositum naturae humanae & divinae in Christo, & proinde quod possit de illo predicari natura humana in concreto significata, dicendo, *illud suppositum est homo*. Cum ergo illud suppositum sit Deus, verè & propriè dici potest, *Deus est homo*, assumptum prob. quilibet natura potest in concreto predicari de supposito cuius est natura; dicimus enim, Petrus est homo; item quilibet forma potest predicari de subiecto cui inest.

Adverte licet nomen, *Deus*, in hac propositione, *Deus est homo*, videatur supponere indeterminatè pro subsistente in natura divina, si spectemus strictum modum enuntiandi; verificetur tamen pro Filio Dei. aliud enim est terminum verificari pro aliquo in particulari, aliud verò determinatè pro eodem supponere quantum est ex vi significandi in enuntiatione; nam viso Petro currente dici potest, *homo currit*, ita & subiectum propositionis verificetur de Petro, non tamen supponat pro illo determinatè quantum est ex vi enuntiandi. Adde tamen quod ex vñ communi *Deus* in hac propositione, *Deus est homo*, accipitur determinatè pro Filio Dei seu Verbo.

Dices si *Deus* supponeret indeterminatè, haec propositio, *Deus non est homo*, posset esse vera, cum Patet non sit homo; & tamen negatur à Catholicis.

Resp. 1. meritò negari, cum Catholicis communi vñ nomen *Deus* in tali propositione accipiat pro Filio Dei.

Resp. 2. neg. assumptum; nam quando in propositione aliquid negatur sine addito de termino singulari, censetur absolutè negari, cum remouetur attributum ab illa re individua; unde cum dicitur, *Deus non est homo*, significatur naturam humanam absolutè remoueri à Deo, & non tantum in persona Patris; id autem falsum est, & per consequens falsa est propositio.

DV B I V M I.

*Utrum haec sit propria locutio;
Deus est homo?*

VRANDVS dist. 4. q. 2. ita de hac re loquitur ut tandem censeat Deum non dici propriè hominem.

Verum ceteri Doctores repugnant, & meritò; cum vnaequeque natura verè propriè predicetur in concreto de suo supposito. Ex quo sequitur homi-

nem verè & propriè posse predicari de Deo, & in ea predicatione seruari rigorem dialecticum spectatà conditione subiecti & predicati.

Confirm. ex communi vñ Patrum & Ecclesiae. Ecclesia enim censet B. Virginem verè & propriè esse matrem Dei, & matrem hominis, & Christum verè & perfectè Deum; similiter verè & perfectè hominem; quod dici non posset si haec propositio, *Deus est homo*, non esset propria; quia si non esset propria, potius esset dicendum, *Deus non est homo*. Plurimi etiam Patres varia colligunt ex eo quod Christus sit Deus-homo; quae nullo modo possent colligi, si haec propositio, *Deus est homo*, non esset propria, v. g. quod Christus constet carne & animà.

Obijciunt 1. homo dicitur essentialiter & per se de Petro, non autem de Deo. similiter maiori cum identitate dicitur de Petro quàm de Deo; igitur magis propriè dicitur de Petro quàm de Deo.

Resp. neg. conseq. quia non ex eo aliquid magis minusve propriè dicitur de alio, quod magis vel minus ab alio distinguatur, sitque illi magis vel minus identificatum: sed quod sumatur vel non sumatur in propria significatione sine vlla figura; alioquin dicendum esset Deum magis propriè predicari de Patre, quàm hominem à Petro, iuxta communem sententiam quae in creatis formaliter distinguit rationem suppositi à natura, quam distinctionem non admittit in diuinis inter naturam & relationes; quod tamen nullus dicit. Cum ergo non obstantibus illis quae in argumento afferuntur, & quae sunt impertinentia ut aliquid dicatur propriè vel non propriè nisi adsint alia, cum inquam his non obstantibus homo predicetur de Deo in propria significatione, propositio in rigore dialectico est propria; sicut illa est propria, *Petrus est albus*, licet albedo accidentaliter ei conveniat.

Obijciunt 2. quod Deus potius sit dicendus humanatus. Ergo non ita propriè dicitur homo. Conseq. prob. eo quod terminus substantialis non ita propriè utroque modo dicatur de subiecto.

Resp. neg. antecedens, si *humanatus* sumatur denominatiuè & tanquam nomen adiectiuum. licet enim Deus possit dici humanatus, si ea vox accipitur tanquam participium, per quam nihil aliud designetur, quàm quod Deus sit vnitus naturae humanae, seu naturam humanam assumpserit, non potest tamen dici denominatiuè ab humanitate tanquam à forma, ut patet ex dictis q. 2. cum per similem locutionem designetur distinctio personarum.

Dices Christus dicitur persona humana; ergo dici potest humanatus.

Resp. neg. conseq. quia vox, *humana*, in antecedente solum designat naturam tanquam formam eius cuius dicitur persona: hoc sensu: Christus est persona subsistens in natura humana tanquam forma à qua sortitur rationem personae humanae. quando verò eadem vox solitarie sumpta predicatur denominatiuè, designat distinctum suppositum in quo homo habitat.

DV B I V M II.

*Utrum homo dicatur vniocè de Deo
& de Petro?*

NEGANT aliqui praesertim Nominales. Alij communiùs asserunt.

K 4

Resp.

Confirm.

Obiectio 1.

Resp.

48.

Aliquid dicitur propriè, quando dicitur sine figura.

Obiectio 2.

Resp.

49.

Non potest Deus dici humanatus ab humanitate vt à forma.

Replica infirmatur.

50.

Negant Nominales.

Communi-
or est af-
firmatiua,
& verior.
1. Concluf.

Resp. & dico i. ipsum predicatum est vniuocum: nam cum dicitur *Deus est homo* & *Petrus est homo*, est idem nomen & res nomini respondens est eadem. Conf. patet de fide quod Filius Dei assumptis eandem specie nobiscum naturam humanam. item B. Virgo genuit verum & propriè dictum hominem; Christus constet animà rationali & carne sibi unitis; quæ omnia in superioribus ostendimus ex Concilijs & Patribus. igitur predicatum, *homo*, tributum Deo in hac propositione, *Deus est homo*, & Petro in hac, *Petrus est homo*, est vniuocum.

2. Concluf.

Dico 2. illud idem predicatum dicitur vniuocè: quia natura humana à qua aliquis dicitur homo, eodem modo conuenit Deo & Petro, quantum scilicet requiritur ad præsens institutum, & vt censetur vniuocè conuenire; & eodem modo de vtrisque predicatur, scilicet sicut natura de suo supposito, quæ in vtroque est eiusdem speciei & rationis.

Confirm.

Conf. 1. Christus secundum fidem est perfectus homo, & B. Virgo genuit verè & propriè hominem; igitur *homo* eodem modo conuenit supposito Christi, & eodem modo de illo predicatur quo de alijs suppositis natura humana. cum ergo in hac propositione, *Deus est homo*, *homo* dicatur de Deo tanquam de suo supposito, eodem modo dicitur de illo quo dicitur de quolibet alio supposito natura humana & per consequens vniuocè.

51.

Conf. 2. *homo* significat constitutum humanitate; vnde quidquid constituitur per humanitatem verè & propriè est homo, & *homo* dicitur de illo vniuocè.

Obijciunt
primo.

Dices 1. homo dicit substantiam quæ est alterius rationis in Christo & in alijs hominibus. igitur non dicitur vniuocè de illo & de nobis.

Resp.
Substantia
non est for-
male signi-
ficatum vo-
cis, homo,
sed huma-
nitas.

Resp. substantiam non esse formale significatum huius vocis, *homo*, sed esse humanitatem; *homo* enim dicit vel constitutum humanitate, vel habens humanitatem, vel secundum aliquos dicit humanam naturam concernentem suppositum. in quibus omnibus explicationibus natura humana est formale significatum; quod formale significatum eodem modo conuenit supposito Dei post Incarnationem & alijs suppositis.

Vnde ad antecedens Resp. negatiuè, si intelligatur quod dicat substantiam tanquam formale significatum: si vero intelligatur quod dicat illam seu verius suppositum tanquam materiale, concedo antecedens, & nego consequens. quia vniuocatio predicationis alicuius termini non sumitur à materiali, sed à formali significato, quod & est idem, & eodem modo tribuitur, vt patet in albedine quæ vniuocè predicatur de quantitate & de substantia, cum dicitur *quantitas est alba*, & *homo est albus*: cum tamen materiale nominis, *alba*, in illis propositionibus sit analogum. sic ergo in præsentī dicendum, quod licet persona Christi quæ posset denotari pro materiali vocis, *homo*, in illa propositione, *Deus est homo*, sit alterius rationis à persona Petri, non obstat vniuocationi predicationis termini *homo*, quia formale significatum est idem in vtraque propositione, & eodem modo tribuitur subiecto, à formali autem sumi debet vniuocatio.

52.

Obijciunt
secundò.

Dices 2. *homo* per se dicitur de Petro, cum hæc predicatio, *Petrus est homo* sit per se, non tamen dicitur per se de Deo; nam hæc predicatio, *Deus est homo*, non est per se; ergo non dicitur vniuocè de vtroque.

sp.

Resp. neg. consequens. quemadmodum enim est

singulare in hoc mysterio quod aliqua natura sit in supposito, cui tamen non necessariò conuenit, & quod non constituit: ita singulare est quod de eodem vniuocè dicatur, sicut alia natura dicuntur de suis suppositis, quæ essentialiter constituunt. Quemadmodum enim non obstante eo quod natura humana non necessariò conuenit Deo, sed liberè à Deo assumpta est, eidem substantialiter est unita: ita eodem non obstante predicatur de eo vniuocè propter rationes in conclusione allatas.

Resp. 2. posse dici quod *homo* per se dicatur de Deo in hac propositione, *Deus est homo*; non quod essentialiter conueniat, non quod conueniat necessariò; sed quod vniuocè substantiali natura humana sit unita Deo, & per consequens possit predicari in concreto tanquam natura de suo supposito.

Ex his resolui potest quaestio à varijs proponi solita, An scilicet hæc propositio *Deus est homo* sit in materia contingenti, an verò in necessaria?

Ex dictis enim habemus non posse defini per regulas aliarum propositionum in materijs naturalibus, sed posse dici aliquo modo ad vtramque materiam accedere. Nam cum Deus secundum sua intrinsicam neque includat humanitatem, neque eam sibi necessariò vniuerit, sed liberè; potest hoc sensu dici esse in materia contingenti, & predicatum esse contingens subiecto, non quod sit accidens predicamentale, sed quod ad modum accidentis predicabilis possit abesse à subiecto. Si tamen spectetur vniuocatio Dei & humanitatis, propositio reducit ad materiam naturalem & necessariam; quia ex his duobus factum est vnum per se, ita vt physicè loquendo debeat dici propositio per se, neque Deus debeat dici accidentaliter *homo*, videri potest S. Tho. responsione ad 1. & dicta supra q. 2. art. 6.

Præterea licet spectando naturalem suppositionem nominis *Deus*, *homo* non dicatur de eo per se in rigore loquendo, si tamen spectemus communem vsum loquendi & intelligendi, quando dicitur *Deus est homo*, potest dici per se, quia nomen, *Deus*, communi vsum in tali propositione accipitur pro Christo, quamuis sub explicito conceptu subsistentis in natura diuina.

Aduerte hanc propositionem, *Christus est homo*, esse per se in omni rigore, & predicatum esse de essentia subiecti, quia nomen *Christus* significat subsistentem in natura diuina & humana. Simile est iudicium de nomine *Iesus*.

ARTICVLVS II.

Utrum hac sit vera, homo est Deus?

AFFIRMAT. Patet ex dictis circa art. 1. cum enim sit idem suppositum in quo vniuntur natura diuina & humana, de eo expresso nomine, *homo*, potest natura diuina predicari in concreto, seu potest dici quod homo habeat naturam diuinam.

Conclusio etiam patet ex epistola ad Rom. cap. 9. vbi dicitur, *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus*. nam inde optimè sequitur, ergo homo est Deus. patet etiam ex 1. Ioan. ultimo, *Et simus in vero Filio eius Iesu Christo, hic est verus Deus*.

Notandum eodem modo esse propriam propositionem, quo modo propria est propositio precedentis articuli; item in illa terminum *Deus* predicari

Homo per se dicitur de Deo, quia vniuocè substantiali natura humana est unita Deo

53.

Hæc Deus est homo, dicit potest pertinere ad materiam contingentem, & necessariam.

S. Thom.

54.

Hæc Christus est homo, est propositio per se in omni rigore.

Resp. affirm.

Rom. 9.

1. Io. ult.

55.

car

carum virtutem & per se modo explicato. 3. non solum dici posse, homo est Deus, sed etiam homo est Verbum, homo est unigenitus Patris, & alia praedicata quae Filio Dei & Verbo competunt.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus dici possit homo dominicus?

S. Tho. hunc art. proponit occasione S. August. qui libro 83. qq. 9. 36. hanc vsurpat locutionem, imò alij Patres passim citati similibus vtuntur locutionibus. Nihilominus

Respondet negatiue; quia dominicus designat pertinet ad Dominum, & habens ad illum habitudinem, & per talem propositionem, Christus est homo dominicus, designatur distinctio suppositi Christi & Dei. vnde August. eam retractauit lib. 1. retractionum cap. 19. & si quando alij Patres simili forma vtantur, concretum explicandum est per abstractum, vt scilicet hominem sumant pro humanitate. Vide dicta q. 2. art. 2. in dubio, obiectione 3. nam cum ea distinguatur à diuino supposito, & sit aliquid Domini, optime dici potest dominica, sicut & dicitur passio, resurrectio, ascensio dominica, & similia quae habitudinem dicunt ad Dominum. Adde alios Patres ad euitandum errorem Nestorij refugere similes propositiones.

ARTICVLVS IV.

Vtrum ea quae conueniunt Filio hominis possint predicari de Filio Dei & contra?

AFFIRMAT. Patet Ioannis 8. Christus dicit, Antequam Abraham fieret ego sum. 1. ad Cor. 2. dicitur res gloriæ crucifixus. Act. 2. Deus dicitur acquisiuisse Ecclesiam sanguine suo. Consentiunt Patres, qui saepe humana Deo tribuunt, & diuina homini ratione mysterij Incarnationis. Videri potest canon 12. Concilij Ephesini, vbi Dei Verbum dicitur passum carne, crucifixum carne, & mortem carne gustasse.

Ratio petenda est ex dictis art. 1. cum enim in Christo sit vnum & idem suppositum diuinæ naturæ & humanæ, & propterea homo possit predicari de Deo & Deus de homine, sequitur etiam de homine posse predicari ea quae conueniunt Deo, & predicari de Deo quae conueniunt homini propter identitatem suppositi. vnde ex hoc articulo

Colligitur 1. quaecunque conueniunt diuinæ naturæ in concreto posse predicari de homine, de Christo & Filio hominis, vt: Filius hominis, seu homo est ab aeterno, est omnipotens, est creator omnium, infinitè sapiens, est immortalis, incorporeus; si hæc sumantur vt denotent proprietates Dei, non verò omnimodam negationem corporis, mortalitatis. Idem dicendum de ijs quae conueniunt Verbo seu Filio Dei; vnde dicitur: hic homo, & homo est genitus à Patre ab aeterno; hic homo seu homo spirat Spiritum sanctum &c.

Colligitur 2. ea quae conueniunt homini necessario, predicari de Deo in concreto; potest enim dici, Deus est mortalis, habet animam rationalem, est animal, &c. Idem dicendum de ijs quae accidentaliter conueniunt Filio hominis seu Christo homini, vnde Deus dicitur fieri, esurisse, natus ex Vir-

gine, passus, mortuus, resurrexisse. Eadem etiam dici possunt de Verbo.

Et per hæc & ea quae articulo 1. & 2. dicta sunt colligi possunt ea quae dicuntur de communicatione idiomatum seu proprietatum, quae in eo consistit, quod per hoc mysterium effectum sit vt Deus dici possit de homine, & homo de Deo, & quae competunt Deo vel Verbo possint tribui homini, & quae competunt homini vel huic homini, possint tribui Deo. qua ratione saepe à scriptura & Patribus & Concilijs tribuuntur.

Quod totum in eo fundatur quod Christus sit Deus & homo, & quod Deus & homo in vnitate suppositi conueniant: vnde attributa tam diuina quam humana & affectiones quaecunque supposito Christi tribui possunt, possunt de illo predicari quocunque nomine suppositum illud designetur, siue, inquam, vocetur Deus, siue homo, siue Verbum, siue Dominus, siue Filius hominis, siue Filius Dei &c.

ARTICVLVS V.

Vtrum ea quae conueniunt Filio hominis possint predicari de diuina natura: & de humana ea quae conueniunt Filio Dei?

NEGAT. quæ conclusio certa est de fide, & potest colligi ex dictis q. 2. art. 1. vbi contra Eutychemum ostendimus ex Concilijs & Patribus duas esse in Christo naturas distinctas, inconfusas, vnquamque cum suis proprietatibus. hinc enim

Sequitur 1. huiusmodi naturas non posse de se inuicem predicari in abstracto, v. g. dicendo, diuinitas est humanitas, vel humanitas est diuinitas; quia similes propositiones non possunt esse veræ in sensu formali, nec in sensu identico; cum & ipsæ naturæ à se inuicem distinguantur, & expressè in abstracto significantur vt distinctæ, non verò vt vnitæ in eodem supposito, in quo conueniant.

Sequitur 2. neque proprietates naturæ diuinæ posse predicari de natura humana siue in concreto, siue in abstracto, dicendo v. g. natura humana est aeterna, est omnipotens, &c. vel est omnipotentia, est eternitas &c. patet quia hæc non conueniunt naturæ humanæ secundum se, nec in sensu identico, nec in formali, nec de ea dici possunt tanquam de supposito.

Sequitur 3. neque proprietates naturæ humanæ posse tribui naturæ diuinæ in abstracto enuntiatæ; v. g. non potest dici, natura diuina est nata, mortua, resurrexit, ascendit in celum &c. propter similem rationem: quia ex modo significandi naturæ diuinæ solum representat suum significatum per modum forme & abstractæ; vnde cum tales affectiones non competant diuinitati secundum se spectatæ, non possunt de illa predicari etiam in concreto.

Nec refert quod natura diuina dicatur incarnata, quia non sortitur illud predicatum per communicationem idiomatum, sed verè secundum se illi competit; est enim verè vnita carni, non quidem vt suppositum, sed tanquam natura suppositi.

Dices in hymno Ecclesiastico dicitur vita mortua.

Resp. abstractum explicandum per concretum, sumitur enim per metaphoram pro Verbo, quod est

59. Communio idiomatum.

Quod fundamentum istius communicationis.

60. Resp. negans est de fide.

61. Hæc est falsa: diuinitas est humanitas &c.

Item hæc & similes: natura humana est aeterna.

Aut: natura diuina est mortua.

Cum dicitur vita mortua: abstractum ponitur pro concreto.

62.

Falsa etiam
est: *Deus est
humanitas*
etc.

Conditio-
nes huma-
nitatis quæ
non suppo-
nunt vnio-
nem, non
possunt in
concreto
prædicari
de Christo.

63.

Attributa
quædam
diuinæ na-
turæ attri-
buuntur
humanita-
ti, sed longè
inferiori
modo.
Quæst.

Hæc potest
admitti in
sensu iden-
tico: *Homo
est diuini-
tas*, non ta-
men forma-
liter.

Error Vbi-
queratio-
rum.

64.

Per vnionem
hypostati-
cam pro-
prietates
vnus natu-
ræ non co-
municantur
alteri.
*Conc. Chal-
cedonen-
se, Leo i.
Prob. pri-
mo.*

est suppositum humanæ & diuinæ naturæ, & quod secundum humanam naturam est mortuum.

Sequitur 4. neque humanitatem posse prædicari in abstracto de Deo, vel Verbo vel Christo, dicendo v. g. *Deus est humanitas*, *Verbum est humanitas*; quia humanitas distinguitur à supposito, unde non potest in sensu identico de illo prædicari; nec etiam potest in formali. similiter non dicitur, *Filius est humanitas*.

Adde quod cum communicatio idiomatum fundetur in vnione hypostatica eamque sequatur, conditiones humanitatis quæ non supponunt vnionem non possunt in concreto prædicari de Christo vel Filio hominis. Unde non dicitur, *Filius hominis est assumptus*, licet natura humana sit assumpta, quia assumptio non supponit vnionem. Hinc etiam mutatio inuenta in humanitate in hoc mysterio ex eo quod sit assumpta, non potest tribui Deo per communicationem idiomatum; cuius ratio vltior est quod propter huiusmodi denominationes humanitatis ipsum suppositum non possit dici assumptum, mutatum, & proinde non potest dici, *Deus est assumptus, mutatus*.

Circa dicta aduerte quædam attributa diuinæ naturæ videri attribui humanitati, reipsa tamen non eodem modo tribui sed longè inferiori, v. g. tanquam instrumento, vel quia quædam dona & excellentiæ peculiari ratione sunt communicata humanitati Christi ratione vnionis hypostaticæ cum Verbo.

Petes an natura diuina possit prædicari de homine, dicendo, *homo est diuinitas*.

Resp. posse admitti in sensu identico, quia suppositum in Christo est idem cum diuinitate; formaliter tamen non potest propriè dici, quia abstractum, vt dictum est, ex modo significandi supponit pro forma secundum se, non verò pro supposito.

Ex his duobus articulis perspicuum est quæ prædicationes sint legitimæ factæ de Christo propter communicationem idiomatum, quæ verò illegitimæ.

• D V B I V M.

Utrum ex vnione sequatur alia communicatio idiomatum?

HÆRETICI nostri temporis præsertim Lutherani censent ex vnione hypostatica sequi talem idiomatum seu proprietatum communicationem vt natura humana communicentur proprietates naturæ diuinæ, & in particulari omnipotentia, omnipresentia seu vbiquitas, vt videtur et apud Bellarm. lib. 3. de incarnatione cap. 9. quæ heresis licet ex dictis q. 2. contra errorem Eutychemi & ex iam explicatis possit refutari, non tamen visum est absque paucula de ea in particulari dicere. itaque

Dico per vnionem hypostaticam proprietates vnus naturæ non communicantur alteri. Est de fide. patet ex Concilio Chalcedonenſi act. 5. vbi legitur *saluâ vniûsque naturæ proprietate & in vnâ concurrente personam*. idem patet ex Concilio Lateranenſi sub Martino i. can. 9. ex Leone i. epistola 10. cap. 4. & ex innumeris alijs.

Prob. 1. proprietates naturæ humanæ non sunt communicatæ naturæ diuinæ; ergo neque diuinæ proprietates sunt communicatæ naturæ humanæ; ergo non potest dici quod proprietates vnus na-

tura in Incarnatione communicentur alteri.

Antecedens videtur concedi ab hæreticis quatenus nullus modernorum hæreticorum censet diuinam naturam recipere proprietates humanitatis. 2. non potest diuina natura recipere proprietates naturæ humanæ, quod hæc in illam conuertatur, vel quod ex illis fiat aliquid tertium, vel quod natura humana afficiat diuinam tanquam forma illius.

Primum patet, quia si ita esset, proprietates naturæ humanæ non remanerent; cum, pereunte naturâ, non remanant eius proprietates. 2. est contra fidem quod in mysterio Incarnationis natura humana conuertatur in diuinam, vt ostendimus q. 2. art. 1. Tertiò natura diuina non subest potestati alicuius, subesset autem si quidquam posset in illam conuertere. Secundum etiam patet; tum quia non remanerent proprietates naturæ humanæ, quandoquidem ex hypothesi illa conuertatur in aliquid tertium; tum quia ex hypothesi non remaneret natura diuina; unde non posset dici suscipere proprietates alterius naturæ. Tertium patet; natura diuina non est capax vllam formam suscipere, vel ab vlla forma informari; unde non potest in se recipere naturam humanam, & per consequens nec eius proprietates.

Prior consequenti argumenti probatur; supposito quod vtraque natura maneat in Christo, non subest ratio afferendi proprietates naturæ diuinæ potius communicari naturæ humanæ quàm e contrâ; cum neutra informet alteram. Conf. simili argumento quod paulò antè factum est. Adde quod repugnet proprietates diuinæ naturæ inueniri in eo qui non sit Deus; constat autem naturam humanam etiam in Christo non esse Deum.

Prob. 2. vel omnes proprietates diuinæ naturæ communicantur naturæ humanæ, vel solum aliquæ. Secundum dici non potest, cum fundamentum communicationis vnus proprietatis sit fundamentum communicationis omnium; non enim potest aliud esse fundamentum, quàm quod natura diuina vel conuertatur in humanam, vel quod humanam afficiat per modum formæ, vel quod ei vnatur in eodem supposito. quodcunque autem illorum ponatur, fundamentum communicationis vnus proprietatis est fundamentum communicationis omnium; cum natura aliquo illorum modorum se habens respectu humanitatis necessario fundet communicationem proprietatum.

Iam verò neque dici potest quod omnes proprietates naturæ diuinæ communicentur humanæ, cum natura humana in Christo non possit dici purus actus; quod non constet materiâ & formâ, non acceperit esse ab alio, sit æterna, incorporea, communis tribus personis, independens, immortalis; quæ & similia continent tam manifestos errores, vt non videantur etiam ab vllò hæretico concedenda.

Prob. 3. coniunctio in eodem supposito non facit vt formæ illius suppositi mutuas proprietates participant; ergo neque coniunctio diuinitatis cum humanitate facit vt humanitas participet proprietates diuinæ naturæ; cum sit par ratio. Antecedens probatur in albedine & dulcedine, frigore & siccitate, quarum vna non participat proprietates alterius propter coniunctionem in eodem supposito; cuius ratio est quod illa coniunctio in eodem supposito non tollat à formis earundem distinctionem ab inuicem. Confirm. homo non potest audire per oculum, videre per tactum, &c.

Prob. 4.

Prob. 4. specialiter de omnipotentia; illa enim requirit ut natura cui tribuitur eminenter contineat perfectiones omnium rerum; ut possit rem ponere in esse independentem à quolibet alio; ut possit eandem independentem à quolibet conferre, annihilare; quæ & similia repugnant humanitati etiam in Christo.

Prob. 5. de ubiuitate. Illa ubiuitas quam hæretici conantur inducere evertit innumera fidei mysteria. 1. quod Christus sit ex Virgine Maria conceptus, quod natus in Bethleem; quod positus in præsepio, quod fugerit in Ægyptum, ascenderit Hierosolymam, fuerit suspensus in cruce, fuerit in sepulchro, post resurrectionem non fuerit in illo; quod fuerit cum discipulis conuersatus, quod in celum ascenderit. ex quibus & similibus clare constat humanitatem fuisse loco motam, & proinde non esse ubique. Idem constat ex mysterio Eucharistiæ, per quod Christi corpus ita ponitur sub specie panis & vini, ut alibi non sit extra celum.

Dicunt hæretici testimonia Scripturæ quibus Christus videtur mutasse locum, &c. esse intelligenda quoad præsentiam visibilem.

Verum nullo modo satisfaciunt, cum id sit contra vim & proprietatem verborum & communem modum loquendi, & nihil cogat ita explicare.

Conf. 1. longè amplius vult Christus cum Ioan. 11. dicit: *Gaudio propter vos ut credatis quia non eram ibi, sed tamus ad eum.* & Marci ult. cum dixit Angelus: *Surrexit, non est hic.* 2. si Christus ita possit dici non esse alicubi, quia non est ibi modo visibili, poterit dici non esse in Eucharistiâ, quia similiter non est ibi visibiliter.

Conf. 3. si Christi humanitas sit ubique non est circumscriptibilis; quod damnatur in 7. synodo, cuius canon vnus ita habet: *Si quis Deum secundum humanitatem undecircumscriptibilem confessus fuerit, anathema.*

Denique ille error potest refutari ex omnibus illis Conciliorum & Patrum testimonijs, quibus statunt utramque naturam in Christo suas retinuisse proprietates. videri possunt hæc fusiùs ex Scriptura & Patribus deducta in Bellarm. lib. citato cap. 11. & sequentibus.

Obijciunt tamen 1. ex cap. 4. ad Ephes. *Qui descendit ipse est & qui ascendit super omnes celos ut impleat omnia.*

Resp. id non fauere Ubiquitarijs; 1. illud, *impleat omnia*, potest intelligi de vaticinijs hoc sensu: ascendit in celum ut impleat omnia vaticinia quæ de ipso erant. 2. potest intelligi de donis celestibus, quibus Christus repleuit Ecclesiam. 3. ut intelligeretur de repletionem secundum præsentiam corporalem, non esset sensus ut repletet omnia omnino loca particularia simul suâ præsentia corporali, sed ut successiue omnia genera locorum impleat, scilicet imum, medium, summum; hoc sensu: Christus qui in terris versatus est; & qui ad inferos descendit, ipse etiam in celum ascendit, ut sic suâ præsentia corporali successiue esset in omni loco. Certè si propter illud colligunt ubiuitatem, cur illam non negant propter verbum *ascendit*; quod significat motum ad locum in quo aliquis antea non fuit; & si in alterutro loco videatur admittenda explicatio ut non sit contradictio, cur illam non adhibent ijs locis quæ iuxta illorum sensum accepta innumeris locis Scripturæ repugnant similibus & sensui totius Ecclesiæ.

Obijciunt 2. Christus est ubique; ergo homo est ubique; ergo ubique habet humanitatem.

Resp. antecedens esse verum ratione personæ. quæ est ubique; non verò si vox, *Christus*, sumatur formaliter, scilicet in quatuor subit rationem Christi; nam non habet ubique rationem Christi, sicut neque ubique Filius Dei est Christus & homo, sed in certo loco, ubi naturam humanam habet sibi vnitam. In forma ergo ad argumentum

Resp. concesso antecedente, si Christus sumatur materialiter pro supposito, similiter concessa primâ consequentiâ voce, *homo*, acceptâ materialiter in consequente; negando secundam consequentiâ ex eo quod suppositum humanitatis assumpta sit ubique, non sequitur ipsum ubique habere humanitatem.

ARTICVLVS VI.

Verum hæc sit vera, Deus factus est homo?

AFFIRMAT. Patet Ioannis 1. *Verbum caro factum est.* idem habetur in symbolis. Ratio est quod Deus antea subsisteret non homo, & proinde non potuerit esse homo absque aliqua effectiōe; vnde verè & propriè factus est homo, absque vlla tamen sui mutatione, per mutationem solius humanitatis, ut ostensum est q. 2. art. 7. dubio 2. Adde ex dictis artic. præcedenti ratione huius mutationis in humanitate inuentæ Deum ne quidem per communicationem idiomatum posse dici mutatum, cum mutatio humanitatis non supponat vnionem; vnde ita tribuitur humanitati, ut tamen non possit tribui supposito seu homini, & proinde ne quidem per communicationem idiomatum potest Deo tribui.

Potes an dici possit, *Deus factus est hic homo.* Ratio dubitandi est quod *hic homo* denotet suppositum, quod est diuinum; cum ergo non possit dici, *Deus factus est diuinum suppositum*, non potest etiam dici, *Deus factus est hic homo.*

Resp. posse dici. 1. *hic homo*, in prædicato illius propositionis sumi potest formaliter pro indiuiduo humanitatis concepto per modum totius, atque ita dici potest, *Deus factus est hic homo.* quia verè factus est indiuiduum humanum; nam ostenso Christo verè dici poterat, *hoc est indiuiduum humanum.* 2. *hic homo* etiam sumptus materialiter pro supposito, potest accipi pro supposito non absolute & secundum se, sed prout subsistente in natura humana, seu ut exercet actionem suppositi humani; hoc autem non conuenit Deo necessariò, neque ab æterno, sed per aliquam actionem, eam scilicet qua humanitas est vnita Verbo; nam per eam effectum est ut Deus fieret suppositum naturæ humanæ, non per productionem vel mutationem ipsius suppositi, sed per hoc quod naturam humanam sibi inexistenter sustinet.

Quinimo dici potest, *Christus factus est homo.* Item: Christus factus est homo. quamuis enim Christus sumptus formaliter significet compositum ex hypostasi diuina & humanâ naturâ, & eo sensu non possit dici factus homo; sumptus tamen materialiter pro supposito præexistente potest modo supra explicato dici, *factus est homo*; item, *factus est hic homo.*

Circa has & similes propositiones diligenter notandum quomodo accipiantur termini: si enim sumantur pro supposito, absolute erunt falsæ, ut si dicatur, *Christus factus est, hic homo factus est.* quia falsum est ipsum suppositum factum esse. si verò termini sumantur formaliter, propositiones potest esse veræ & possunt concedi, nam verum est

Christum

Christus non ubique habet humanitatem.

Resp. affir. Ioan. 1.

70.

Deus non potest dici mutatus per communicationem idiomatum.

Quæstio. 1.

Resolutio.

71.

Dici potest: Deus factus est hic homo.

Item: Christus factus est homo.

72.

Hæ propositiones si termini sumantur pro supposito, sunt falsæ; si absolute, si formaliter, possunt esse veræ.

Nullus est et diuinum naturam recipere proprietates humanitatis.

65.

Prob. secundò.

66.

Dici nequit omnes proprietates nature diuine communicari humanitati.

Prob. tertio.

Christum in ratione Christi factum esse, cum non semper fuerit illud compositum ex diuina hypostasi & natura humana.

ARTICVLVS VII.

Utrum hæc sit vera, homo factus est Deus?

Triplex
propositio-
nis sensus.

73.

NOTAT hanc propositionem posse habere triplicem sensum. 1. est vt participium factus absolute determinet subiectum vel prædicatum hoc sensu: *homo qui est factus, est Deus*; vel *homo est Deus factus*. in quo sensu dicit vtamque propositionem esse falsam; falsum enim est Deum esse factum. item cum *homo* supponat materialiter pro supposito Verbi, falsum est illud esse factum, & proinde constat vtamque propositionem in prædicto sensu esse falsam.

Secundus sensus esse potest, *factum est vt homo sit Deus*, ita vt participium, *factus*, non afficiat extrema propositionis, sed determinet compositionem; & eo sensu dicit vtamque propositionem esse veram, scilicet, *homo factus est Deus*, & *Deus factus est homo*.

Notat tamen 1. particulam, *homo*, in huiusmodi propositionibus sumi simpliciter seu suppositione immobili, non verò personaliter. ita enim sumitur pro homine in communi vt non liceat descendere ad vllum singulare, v. g. dicendo, *hic homo factus est Deus*, nam *hic homo* designat suppositum, quod non est factum Deus, cum semper fuerit Deus.

74.

Falsa est
propositio
in sensu
proprio:
*homo factus
est Deus*.

Notat 2. cum sensum non esse proprium huiusmodi locutionum.

Tertius sensus est proprius, quem verba ipsa statim præferunt, scilicet aliquem hominem acquisuisse diuinam naturam & diuinum esse per effectiorem. & in hoc sensu S. Tho. asserit propositionem esse falsam. Quæ doctrina est communis Theologorum, & patet ex ipsa terminorum explanatione: falsum enim est aliquem hominem acquisuisse diuinam naturam per effectiorem, cum ille homo sit diuinum suppositum, & per consequens non potest esse factum Deus. Conf. ille homo non præcessit, ita vt præsupponatur actioni, quæ factus sit Deus. quod autem dicitur factum tale ex vi significationis & in proprietate sermonis præsupponitur actioni per quam sit tale.

75.

Scotus &
Gabriel
contra sen-
tiant.

Fauet Aug.
& Damasc.

Defenditur
sententia
D. Tho. &
PP. expli-
cantur.

Contra hanc doctrinam sentit Scotus dist. 7. q. 7. cui consentit Gabriel eadem dist. q. vnica art. 2. post 5. conclusionem; cuius sententia probari potest ex August. lib. 1. de Trinitate cap. 13. *Talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum*. Damasc. lib. 3. de fide cap. 11. post medium. Eodem modo illud quoque dictum est, quod *Deus homo factus sit, & homo Deus*. Consimiles locutiones inueniuntur apud alios Patres.

Nihilominus dico non ideo recedendum esse à communi sententiâ, & Patres concreto vsos pro abstracto, nec aliud voluisse, quam humanitatem à Deo assumptam, eique vnitam: quemadmodum cum dixerunt Deum assumpsisse hominem; & dico eos minùs propriè locutos, nec eà in re fuisse sollicitos de rigore philosophico.

ARTICVLVS VIII.

Utrum hæc sit vera, Christus est creatura?

76.

RESPONDET non esse ita loquendum absolute aliqua determinatione; ne detur occasio erroris, scilicet quod Christus etiam secundum personam diuinam sit creatura. vnde admonet quædam esse prædicata, de quibus non ingeneratur suspicio quod conueniant personæ secundum seipsam, & hæc posse simpliciter dici de Christo ratione naturæ humanæ, vt *Christus est mortuus*, &c. alia verò esse de quibus potest dubitari an conueniant toti vel parti, & ea non prædicari de toto simpliciter, sed cum determinatione.

Ex quibus patet doctrinam S. Tho. continere saltem prudens consilium quomodo debeamus loqui vbi esset erroris periculum, & quod daretur intelligi Christum secundum se totum esse creaturam, seu rationem creaturæ conuenire illi etiam secundum suppositum. Nihilominus quæri posset an vbi cessat periculum erroris vel scandali & retinetur sanus sensus, liceat ita loqui & prædicta propositio in rigore sit vera? vnde

DVBIUM.

Utrum prædicta propositio in rigore sit vera?

77.

TRES sunt hac de re sententiæ. 1. absolute negat. S. Thom. 4. contra gentes cap. 48. vbi etiam Ferrar. & alibi plerique in 3. distinct. 11. Richardus art. 1. q. 2. Durand. q. 1. & plures alij passim citati, quos sequitur Medina hic.

Secunda distinguit: si enim creatura sumatur prout communiter sumunt Theologi, scilicet vt idem est, quod productum ex nihilo secundum se totum, non potest dici, *Christus est creatura*; cum subiectum propositionis sit compositum ex persona diuina & natura humana. constat autem personam diuinam non posse dici productam ex nihilo, & per consequens propositionem in prædicto sensu non posse esse veram: si tamen creatura idem sit quod factura vel factum, potest propriè dici *Christus est creatura*: cum enim Christus sit compositum ex persona diuina & natura humana, quod mediante vnione factum est, optimè dici potest, *Christus est creatura*. Suarez hic in commentario.

Tertia simpliciter affirmat. Caietan. hic & art. 10. Vasquez disput. 63. cap. 2. qui alios citat. Becanus de Incarnatione cap. 7. q. 2. num. 22. videturque favere S. Thom. hic, vbi admonens non esse vsurpandam prædictam propositionem propter periculum Arianismi, satis indicat secundum se non esse falsam, & in rigore posse habere legitimum sensum. & responsione ad 2. vbi ait *ad evitandum errorem Manichæi non esset simpliciter dicendum Christus est incorporeus, immortalis*; cum tamen satis constet vbi cessat illud periculum id posse simpliciter asseri.

In hac re mihi videtur magna ex parte esse questio de nomine: nam inter Catholicos constat ipsum suppositum Christi non esse productum ex nihilo.

Non ita fa-
cilè loque-
dum est.

Tres sen-
tentia. Prima ne-
gat. D. Thom.
Ferrar.
Richard.
Durand.
Medin.
Secunda
distinguit.
Suarez.

Tertia af-
firmat. Caietan.
Vasq.
Becan.
Fauet hic
S. Tho.

78.

Videntur
questio de
nominib.

nihil. constat etiam humanitatem Christi esse creatam & creaturam.

Iam vero an propter priorem rationem Christus non possit dici creatura, an vero dici possit propter posteriorem, videtur pertinere ad questionem de nomine. Prima sententia vult illud etiam adest simpliciter negandam propositionem, nisi addatur determinatio, quā sufficienter significetur non tribui ratione suppositi. Tertia sententia censet nomen creaturæ attributum Christo non necessarium id significare, sed quemadmodum alia possunt ei simpliciter tribui ratione alicuius naturæ in eo inuentæ, licet videantur repugnare alteri eius naturæ, ita posse tribui prædicatum, *creatura*: si enim alia prædicata naturæ humanæ possint ei simpliciter tribui, cur non & hoc?

Præterea secundum communem sententiam potest dici, *Christus ut homo est creatura*; ergo absolute etiam potest prædicari sine addito: nam illa particula *ut homo* non est particula diminuens, sed solum denotans & determinans secundum quam naturam ei competat esse creaturam: quando autem ita se habet particula, prædicatum absolute tribui potest. Patet in similibus in hac eadem materia: *Christus ut homo est risibilis*, est mortalis, est corporeus; potest etiam dici absolute, *Christus est risibilis*, est mortalis, corporeus.

Dices esse diversam rationem; nam non generatur dubitatio num posteriora prædicata conueniant ratione suppositi & totius, sicut de prædicato creaturæ.

Resp. ubi constat de vero sensu & inter Catholicos, non generari huiusmodi dubitationem, & proinde non minus potest admitti quam alia prædicata, quæ simpliciter tribuuntur Christo, licet ei solum conueniant ratione humanitatis.

In questione, ut dixi, de nomine iudico tertiam sententiam esse probabilem, quæ est conformis locutionibus Patrum. Hieron in magnis commentarijs epistolæ ad Eph. in illud cap. 2. *ipsius enim sumus*, iactura dicit: nos libere proclamamus non esse peccatum esse creaturam. Cyr. lib. 10. thesauri cap. 4. *nam cum uisum sit in creatis si & omnium Dominus & creator, creatura etiam factus, primus inuenitur inter omnes homines quos assumpsit humanam naturam*. Leo serm. 3. de Pentecoste. Si enim homo ad imaginem & similitudinem Dei factus in sua honore natura manifestet, &c. creator mundi creatura non fieret. Plures uideri possunt apud Vasq. cap. 2. citato.

Ex quibus patet fuisse familiare Patribus Christum vocare creaturam, scilicet ratione naturæ humanæ assumptæ, ita ut non tantum dici possit creatura, quia factus est mediante unione Verbi cum natura humana, sed quia natura humana in illo uerè & propriè dicta est creatura, ratione cuius potest illam denominationem sortiri: cum denominatio creaturæ possit tribui non solum naturæ in abstracto, sed ratione illius possit etiam tribui supposito eiusdem naturæ.

Si qui Patres uidentur repugnare, non agunt de præsentī questione, sed solum uolunt contra Arianos Christum secundum naturam diuinam non esse creaturam.

Dices, quando prædicatum est transcendens, quod potest conuenire supposito & parti, si solum conueniat ratione partis, non potest tribui absolute.

Resp. negando, si per partem intelligatur etiam natura: licet enim corporeum possit conuenire tam supposito quam naturæ, nihilominus potest præ-

dicari de Christo sine addito, ratione naturæ humanæ, licet ipsum suppositum sit incorporeum.

Dices si Christus possit dici creatura, etiam dici poterit, *Verbum est creatura*, quod est aperte falsum & hæreticum.

Resp. 1. negando conseq. quia illa propositio, *Verbum est creatura*, statim præ se fert sensum hæreticum; non ita illa: *Christus est creatura*.

Resp. 2. concedendo ita posse dici per communicationem idiomatum, ubi cessat periculum erroris vel scādali, sicut dici potest, Deus est corporeus.

Ex his patet resolutio art. 10. in quo S. Th. docet hanc propositionem, *Christus ut homo est creatura*, esse veram; si enim propositio simpliciter prolata sit vera, multo magis erit vera ea propositio quæ designat rationem sub qua Christo conuenit esse creaturam; de qua tamen variè sentiunt auctores; imò aliqui sentiunt eam esse falsam. Sed contrarium est omnino uerius non solum si concedamus posse dici simpliciter *Christus est creatura*, uerum etiam si negemus; quia eo non obstante vera erit illa propositio, *Christus in quantum homo est creatura*, quia particula, *in quantum homo* specificat naturam secundum quam possit ei conuenire ratio creaturæ: certum autem est eam rationem posse conuenire secundum naturam humanam, quæ etiam in Christo est creatura.

ARTICVLVS IX.

Utrum hæc sit uera, Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse?

RESPONDET negatiuè; quod & communius tenent Doctores.

Scotus tamen in 3. dist. 11. q. 3. docet hanc propositionem, *Christus incepit esse*, esse veram: sed ut notauit superiori dubio, hic etiam mihi uidetur esse questio de nomine. S. Th. censet esse falsam eo quod nomen, *Christus*, seu *iste homo*, designet suppositum; cum subiecta propositionum, nisi colligatur aliud ex adiunctis, sumantur materialiter & pro supposito; prædicatum etiam inuoluat negationem, quā significetur Christum antè non fuisse. Cum ergo suppositum Christi, seu istius hominis sit æternum, & falsum sit quod non semper fuerit, falsa quoque est propositio quæ dicitur quod incepit esse.

Scotus uerò ideo censet esse veram quia *Christus* formaliter sumptus significat compositum ex diuina persona & natura humana, quod compositum non est æternum, sed incepit esse in tempore. id autem solum significatur per illam propositionem *Christus incepit esse*, in qua subiectum accipitur formaliter, similiter terminus, *iste homo*, potest sumi formaliter pro indiuiduo naturæ humanæ, quod indiuiduum naturæ humanæ uerè incepit, & proinde dici potest, iste homo incepit esse.

Ut dixi differentia est de modo loquendi, quandoquidem utraque sententia retinet uerum sensum & satis proprium: modus tamen loquendi S. Th. uidetur ysiator, & cōformior regulis logicæ, secundum quas subiecta propositionum communiter sumi solent materialiter & pro suppositis, nisi aliud ex adiunctis colligatur; quod in simili propositione nō apparet. Adde quod cū aliquid dicitur incipere sine addito, significetur incipere secundum suum esse simpliciter, & in propositione *Christus incepit esse* uidetur significari quod suppositum incepit esse secundum

Replica.

Diluitur.

82.

Vbi cessat periculum erroris, dici potest *Verbum est creatura*, per communicationem idiomatum. Ista indubitatus uera est, *Christus ut homo est creatura*.

83.

Negat S. Thom. Affir. Scotus.

Videtur etiam questio de nomine.

84.

Modus loquendi D. Th. preferatur.

cundum suum esse simpliciter, atque adeo secundum esse diuinum.

Soluntur
rationes
Scoti,

Nec contra hanc explicationem vrgent rationes Scoti, quod scilicet Christus factus sit homo; atqui fieri hominem est fieri simpliciter; ergo dici potest, *Christus factus est*; & proinde dici potest, *Christus incepit esse*.

Resp. concessa maiore distinguendo minorem: si enim fieri simpliciter sumatur prout idem est quod fieri substantialiter, seu acquirere esse substantiale, conceditur: quia suppositum Christi acquisiuit in tempore esse substantiale hominis per coniunctionem humanitatis cum persona diuina. si verò per fieri simpliciter intelligatur quod res absolute fiat, negatur minor vniuersaliter sumpta; cum enim suppositum Christi simpliciter fuerit antequam illi vniueretur natura humana, Christum fieri hominem non est fieri simpliciter, atque adeo ex eo quod incepit esse homo, non potest dici sine addito quod incepit esse.

Argumenta
quædam
contra Scotum
non concludunt,

Notandum tamen quod contra propositionem in sensu Scoti acceptam non vrgent varia que opponuntur; vt quod ex ea sequeretur posse dici filium Dei incipere; id enim nullo modo sequitur, cum a sensu formali procedatur ad materiale: nam vt ostensum est iuxta Scotum in illa propositione, *Christus incepit esse*, Christus accipitur formaliter pro composito ex diuina persona & natura humana, vel saltem non designat suppositum quomodocumque, sed peculiariter subsistens in vtraque natura, in consequente verò filius Dei sumitur planè materialiter.

ARTICVLVS X.

Vtrum hæc sit vera, Christus vt homo est creatura?

AFFIRMAT. patet ex notatis art. 8.

ARTICVLVS XI.

Vtrum hæc sit vera, Christus secundum quod homo est Deus?

86.

RESPONDET sub distinctione: si enim particula, *secundum quod*, vel *in quantum*, reduplicet suppositum, est vera: si verò reduplicet naturam, est falsa. vbi tamen

In rigore
est falsa.

Aduerte propriè & in rigore esse falsam, quia in proprietate sermonis solet reduplicare naturam, & terminus illam subsequens solet accipere formaliter, & designare causam vel naturam secundum quam prædicatum propositionis conueniat subiecto: falsum autem est quod Christus secundum naturam humanam sit Deus, siue quod conueniat ei diuinitas ex eo quod habeat naturam humanam. Vnde falsa est propositio tam in sensu reduplicatio & particula designante causam propter quam attributum conueniat subiecto: quam sumpta specificatiue, & determinate seu designante naturam secundum quam ei conueniat quod sit Deus; quia nec humanitas est causa cur Christus sit Deus, nec Christo secundum naturam humanam conuenit esse Deum.

87. Hæc etiam
Christus secundum
quod est iste homo,
est

Aduerte S. Th. responsione ad 3. sentire hanc propositionem, *Christus secundum quod est iste homo est Deus*, magis esse veram, quia pronomen, *iste*, ma-

gis trahit ad suppositum terminum, *homo*. Verum etiam magis propriè sumitur formaliter & designat indiuiduum naturæ humanæ quando ponitur post reduplicationem, & proinde propositio simpliciter est falsa.

Ex his colligi potest quod attributa vnius naturæ non possint tribui Christo cum reduplicatione alterius naturæ etiam in concreto; vnde non est vera propositio, *Christus vt Deus passus est, resurrexit, &c.* vt homo est creator, est omnipotens, est ubique; quia terminus subsequens particulam, *vt*, sumitur formaliter & designat naturam in qua & secundum quam aliquid competat Christo: falsum autem est quod Christo conueniat pati secundum diuinam naturam, item quod natura diuina sit illi ratio ob quam, passionis, falsum etiam est quod omnipotentia ei competat secundum naturam humanam.

ARTICVLVS XII.

Vtrum hæc sit vera, Christus secundum quod homo est hypostasis vel persona?

RESPONDET consimili modo distinguendo, sicut articulo præcedenti: si enim particula, *secundum quod*, reduplicet suppositum, est vera; sed hic sensus est minus proprius. si verò reduplicet naturam, potest distinguere: vel enim sumitur specificatiue determinando & specificando naturam in qua etiam illi conueniat esse personam, & hoc sensu vera est, quia Christo etiam in natura humana conuenit esse personam, est que sensus maxime proprius, vel accipitur reduplicatiue, ita vt designet naturam tãquam causam, ex cuius principiis competit Christo esse personam, & ita falsa est. Cum enim in Christo personalitas non sit creata, falsum est ex principiis naturæ humanæ ei competere rationem personæ.

Aduerte tamen 1. alio sensu particulam sumptam reduplicatiue posse reddere verum sensum, quod Christus in quantum homo sit persona; quia videlicet natura humana ex naturali sua conditione postulat esse in persona, quæcumque illa sit: vnde Christus etiam in quantum homo postulat esse persona.

Aduerte 2. hanc esse maxime propriam, *Christus vt homo est persona humana*, quia natura humana vnita Verbo est illi causa cur in ea subsistat, & per consequens subeat rationem personæ humanæ.

QUESTIO XVII.

De pertinentibus ad unitatem in Christo quantum ad esse.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sit vnus vel duo?

RESPONDET quod Christus sit vnus masculinè, & vnus neutraliter.

Et quidem quod sit vnus masculinè est de fide. patet ex Symbolo Nicæno & Athanasij, & habetur in varijs Concilijs, docetque communiter Patres, qui plurimi citantur à

Deus, videtur
simpliciter
falsa.

88.

Aliquo
si
vera
&
aliquo
non.

89.

Ista est
maxime
propria:
Christus
vt homo
est persona
humana.

I.

Christus
est vnus
&
vnus.
Sym. Nic.
Athanasij.

Suarez